IN SYNTAGMA DE COMETIS, ET DUOBUS NUPERIS QUI ANNO 1664 & 1665 APPARUÈRE, ...

Pieter Adrian : van Broecke, Alessandro Marchetti

Digitized by Google

Digitized by Google

1380.83 A

Digitized by Google

Digitized by Google

c1
1380.33

In Syntagma de Cometis,

ET DVOBVS NVPERIS

Qui Anno 1664. & 1665. apparuère,

AB ALEXANDRO MARCHETTI

Oculatiſſimo Philoſophię, ac Matheſeos Interprete, Ordinario in Academia Piſana Philoſophiæ Lectore elucubratum,

Carmen de natura Cometarum

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE

Belgæ, publici Eloquentiæ Profeſſoris PISIS.

Recenſentur initio diræ prædictiones, quales ab Aſtrologis iudiciarijs ſolent in vulgus ſpargi, quibus vt vaniſsimis nemo credere, aut moueri debet.

DICEBAT IN ACADEMIA PISANA, V. C.

Probus ac ingenuus adoleſcens.

BARTHOLOMEVS MOZZIVS CIV. PISAN.

PISIS.

Ex Typographia Archiepiſcopali. 1668. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

QVID trepidi rerum noua fata imponitis Axi?
Quæ trucibus flãmis ſæuòq; atrocia vultu
Aethereo canitis portenta rubeſcere Cælo?
Ire Polo dirum ſydus, crineſque, iubaſque
Ferali incendi flamma, ſpargiquè cruore,
Et (viſu horrendum) læuo per ſydera tractu
Sanguineæ ferri porrecta volumina caudæ?
Nil lætum ſignis promittere talibus Axem.
Sat notum attonito quas clades nuntiet Orbi
Quicumque infauſto ſemel arſerit igne Cometa.
Vt noua nunc latè ſtrages, nouus vndique Mauors
Immineat campis, & triſtia ſuſcitet arma;
Vt nec læta ſeges ſulcis pubeſcat aratis;
Nec ſpes vlla auidis ſit reſponſura Colonis;
Credita nec pigris erumpant ſemina glebis.
Atque adeo eſuries, morbique, & lethifer annus
Ingruat, & denſis cumulentur funera terris.
Vt diri Cælo lapides, horrendaque ſaxa
Præcipitent, triſtique pluat ſuper arua cruore.
Quin late horrifico Tellus quaſſata tremore
Et ſummos montes, & magnas hauriat Vrbes;
Et denſæ pelago, ſeu cæca ad ſaxa carinæ,
Seu vada, ſeu medio perituræ gurgite ponti.
Quin ipſi aggeribus, riparumque obice claudi
Non poſſint amnes; præceps furor ibit in arua
Spumeus, vndantique ſuper ruet omnia fluctu.
Heu quanta in campis ſtrages magalia tota,
Totaque rura, pecuſque, homineſque repente profundo

Digitized by Google

Obruet vnda lacu. Vehet horrida funera fluctus.
Tum terrâ, mediæ paſsim tum nubibus Aethræ,
Et paſsim toto ſimulacra horrentia ponto
Cernere erit, ſeu lux, ſeu nox obſcura recurrit.
Deſinite ô miſeras tantâ formidine gentes,
Et cæcis fatis mortale inuoluere pectus.
Scit Natura parens, ſcit rerum ſumma Poteſtas
Quicquid erit. Nil aſtra mali, nil triſte minantur;
Nil quoque crinitũ quod nunc micat Aethere ſydus.
Quin potius crinale iubar, lucemque ſecundam
Vimque, habituſq; omnes cũ primo exquirimus ortu?
Qui mos, qui Genius, quæ circum ſydera labi
Sit ſtudium, & tenui quo deſinat ire meatu?
Principio magno ſunt qui coeunt a Cælo
Democritus, & Anaxagor. Aſtra ſimul coniuncta ſitu dixere Cometen,
At cita deliquij ceu Luna laboribus exit,
Sic quoque ſe ſubito ſubduceret igne Cometa,
Nec fatale iubar tertis oſtenderet vltra.
Pythagorici. Hi ſtatuunt ſydus circum Titana volutum
Exiguis radijs, nec magnis orbibus actum,
At latitans crebro flammaque ignique ſepultum
Immenſi Iubaris; ſtella vt Cyllenia Solem
Dum ſequitur labens, ſpatijſque minoribus ambit,
Sæpe latet, refugitque oculos abſcondita noſtros.
Aſt Electra eadem ſimiliſue, idemue Cometa
Se monſtret quandoque ortu, quandoque videndum
Exhibeat ſydus, quod adhuc caligine merſum
Delitet in toto non obſeruabile Cælo.
Tum

Tum quoque Phœbeo ſe nunquam obuerteret Axi.
At noſtrum ſydus, crinitaque ſydera ſæpè
Se magno gaudent interdum opponere Soli.
Stella alijs viſa eſt, quæ recto tramite lábens
Per vaſtos ſine ſine polos, per & Aethera vaſtum Chald.
Se ferat, & recto micet ignea tota meatu. Senec. & alijs.
Sed quamuis Aether, quamuis ſit vaſtus Olympus,
Limitibus tamen ille ſuis, ſpatijſque tenetur;
Nec rectus motus ſine ſine intenditur Axi.
Præterea primo dum lumina tolleret ortu
Se tenui flamma, tenui ſe mole coruſcum
Efferri Cœlo, radijſque Cometa minutis
Oſtendat terris, poſt mole & corpore maior
Ardeat, & totis ſit lux inſuſa capillis;
Et rurſus tenui minor euaneſcat in igni.
Quæ res eſt mori, genioque aduerſa Cometæ
Qui primis ſemper ſe grandior ignibus effert.
Cæcropii Princeps Nemoris princepſque Stagyræ
Credidit errantes ingenti lumine flammas. Ariſtot.
Verum vbi crinitis ſtellæ fulgoribus actæ
Sæpè ardent, celſum flammæ non Aethera poſsint
Exſuperare aditu. Quin ſubter lumina Phœbes
Non durare queant, cum pinguia pabula flammæ
Halitibus ſiccis, calidiſque effæta crementur,
Ceu ſubitò ruptis rutilantia fulgura nimbis;
Quæuè ardente volant labentia sydera ſulco.
Hic putat e pingui cretum Tullere vaporem
Immiſsis radijs, immiſſa luce micantem,

Qui

Qui nuſquam flexus ſe recto ad ſydera ductu
Euehat, & proprio data curſu fata frequentet:
Sic eſto in certis, non omnibus vſque Cometis
Siue eadem ratio, ſeu vis, ſeu cauſa ſuperſit.
Namque ſuo lapſu, propriiſque erroribus acti
Vix quartum exſuperent ſpatium, quo maximus Axe
Se quis per longum conuoluit circulus Orbem.
At modò crinitum ſe vexit longius Aſtrum;
Longius, & multi iubar euexere Cometæ.
Quid ſupereſt tandem? quæ ſtat ſententia veri?
An vapor eſt vaſtus, magno qui manat ab Aſtro?
Aſtriſuè exoritur multis? quemue ipſa recluſum
Eructet tellus? ſeu ſydera fixa ſub Axe?
Annè vnam è maculis, pluresue à corpore Tytan
Abſcidit eructans? proprios quæ deinde Penates
Iam nactæ lucemque Patris, radioſque refringant.
Annè aliqua antiquam pars mutat in Aethere ſedem?
Inquè nouo iam denſa ſitu ſe reddit opacam?
Atque adeò Phebi ſic lumina tota reflectit,
Vt nobis ſydus crinito appareat ortu?
Hactenus hæc. Toto quæ fiunt omnia Cœlo
Menſque minor, numeriquè negant tentare minores.
At vos Marchettum, qui grandi ad ſydera niſu
Totus abit, totuſque ignes rimatur, & aſtra,
Primis ſeque parem primis in honoribus addit,
Iamque Galilæi ſequitur, iam magna Borelli
Ipſe premit, pulcroque legit veſtigia paſſu,
Conſulite, & cultis rem totam ediſcite chartis.
FINIS. XI. Cal. Maias. CIↃIↃCLXV.

Digitized by Google

LECTOR Humaniſſime Syntagma, quod ego præſtantiſſimum opus vidi, legi, & admiratus fui, à Clariſſimo Authore eo ipſo anno, quo compoſuit, & Cometæ apparuère, editum non fuit, quòd caſu ipſam lucubrationem manu ſua ſeriò exaratam amiſit, & tantùm fragmenta quædam perpauca remanſerunt, è quibus denuò redordiri Syntagma ſtatuit, idque ſuo tempore luci, & rerum cœleſtiũ ſtudioſis hominibus impertiri. Sed hoc hactenus præſtare non potuit, tum quòd Lucretium hetruſcè ſolutâ numerorum Elegantiâ ita reddidit loquentem, vt æquè cultus, ac venuſtus in hac lingua Author communi, vt non dubito, doctiſſimorum hominum iudicio futurus ſit, quàm olim ſuâ apud Romanos extiterit; Tum quoque quòd Galilæi ſempiterna laude digniſſimi Viri tractatum nunquã ſatis laudatum de reſiſtentia corporum ſolidorum extendendum magis, ac ampliandum ſuſcepit: quo quidem operè futurum puto, vt mundus cognoſcat eò clariſſimum Marchettum progreſſum fuiſſe, vt parum, aut omnino nihil ſuperet, quod in tali ſcientia ab æquis Æſtimatoribus rerum deſiderari queat. Vale amiciſſime Lector, & meos quoque conatus boni conſule.

Piſis; poſtridie nonas Ianuarij 1668.

ILLVSTRISSIMO EQVITI

SIGISMVNDO MARCHESIO FORLIVIENSI

Dum in Pelagus Aegeum aduerſus Thraces bellaturus cum claſſe Tyrrhenà nauigat. Eiuſdem Aurhoris Elegia ad Nymphas Occeani.

Diua Nereides, Diua Occeantides omnes,
Si fluitis toto Numina glauca Mari;
Si Pelagi facies à veſtro Numine pendet,
Siuè ſit alma quies, ſiue ſit ira freti;
Si pluuiam nimbis, ſi ventis demitis iras,
Magnaquè cerulea ſceptra tenetis aqua.
Ite Dea quà Creta vocat, quà barbara Claſſis,
Ducite victrices carbaſa Thuſca rates;
Incolumeſque Viros date Thracum inuadere littus,
Thraciaque Ideis pellere caſtra iugis.
Euenict. Dat ſigna Polus, iam Martia Pubes,
Iam lecta robur nauigat Auſonia.
Hic vetus Heroum ſanguis Marcheſia Proles.
Rurſus in Iſmarias tendere gaudet opes.
Rurſus in aequoreos pro dulci laude labores,
Nec Pelagi dubias pertimuiſſe minas.
Stat iuueni proprijs Atauorum geſta trophaeis
Vincere, ſtat proprijs ſe cumulare bonis;
Nec debere alijs, animi qua conſcia Virtus
Vindicat ipſa ſibi, vindicat ipſa decus,
Iam video Odryſias fugientia carbaſa puppes
Non bene Carpathia conſuluiſſe fuga.
Iam Rhodani Claſſes ſub Creſſa ſeuit arenà,
Seuit & in toto Claſſis Hetruſca Mari.
Iam Veneti (atque vtinam Italiae ſim verus Aruſpex.)
Dant ſua Dijcteo libera Regna Ioui.

38 368688 Z 1380.33
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google